

exinde sequitur, humanitatem Christi personam, a persona divina di-
versam, constituere, esseque in Christo personas duas; unam, per
subsistentiam propriam; alteram, per communicatam. Subsistentia
enim propria caret humanitas Christi, & unus idemque est assum-
ptione humanitatis in Deum; non confusione substantiæ, sed unitate
personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita
DEVS & homo unus est CHRISTVS. Vid. Symbolum S. ATHA-
NASII contra Arianos, scriptum, vers. 34. 35. 36. coll. cum *Luc. I, 35.*

CAPVT XX.

DE OFFICIIS CHRISTI.

Pag. m. 106. Aphorismus 8.

Christus, morte sua, non exemit universum genus hominum maledictio-
ni primi peccati.

Est falsus & erroneus. Nam Christus omnino, ex parte sua, exemit
universum genus hominum maledictioni primi peccati *Rom. V, 18. seq.*
21. 1 Cor. XV, 22. licet hic vel ille non credat, maneatque eidem iræ &
maledictioni obnoxius, *Job. III, 36.*

Pag. m. 106. Aphorismus 9.

Christus pro solis suis electis est mortuus, non pro omnibus & singulis
hominibus.

Est falsus & erroneus. Nam

1. Omnino tam late patet intentio Patris, Filium suum unigeni-
tum mittentis, *Job. III, 16. Tit. II, 11.*

2. Impetratio salutis, per meritum Christi, & applicatio, respectu ho-
minis, non æque late patent: quoniam multi non applicant sibi per effi-
cacious Spiritus S. meritum Christi, sed abnegant Dominum, qui mer-
catus est illos, inducentes sibi ipsis celerem interitum, *2. Petr. II, 1. 2.*

3. Verum est, quod dicere possit nemo fiducialiter, Christum pro se
esse mortuum, nisi per fidem, *Gal. II, 20.* interim tamen negari nequit
acquisitio salutis hominis, etiam infidelis & reprobis, per mortem Chri-
sti facta, *Act. XIII, 46. 2. Petr. II, 1. 20.*

B

4. Bc.